



7

PARTITIONUM
Theologicarum,

Disputatio VII.
DE
IMAGINE DEI
IN HOMINE.

In illustri Academiâ Witteber-
gensî proposita;

PRÆSIDE
M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

RESPONDENTE
M. IOHANNNE CALLE-
NIO ULYSSÆO.

MAGDÆ BURGI,
Excudebat Ioachimus Boëlius.
Sumtibus Clementis Bergeri Bibliopolæ
Witteberg: Anno 1611.

VIRIS

Reverendâ dignitate, doctrinâ, & pietate,
gravissimis, praecellentissimis

SPECTABILI DN. DECANO I.V.D.
CONSULTISSIMO, ET CAETERIS EC-
CLESIAE CATHEDRALIS BARDOVICENS: CA-
NONICIS, PRÆPOSITIS AC SYNE-
DRIS, DIGNISSIMIS,

Dominis Mæcenatibus, Evergetis, & Fautoribus
suis eternum honorandis.

S. D. P.

Q Vem benefactorum juvat haud meminisse suorum,
Qui patitur densâ munera nocte tegi,
Impius, & Scyllâ, vel duro robore natus,
Aut inter tygres editus ille fuit.
Non mihi sunt filicis circum præcordia venæ,
Ut fugiam exhibitum commemorare bonum.
Nutriit, atq; diu Bardorum Ecclesia fovit
Callenium quondam, qui mihi charus avus.
Suscepit Bardum puerum puerilibus annis
Me quoq; sat bardum, deñ simul arte rudem.
Suscepto saltus reseravit & antra Napæi,
Vnde mihi Tempe jam modo dia fluunt.
Grande satis meritum, quod vel majora requirit,
Solvere quam posthac nostra Thalia potest.
Interea precor ut levia hæc, & mole minora,
Grati sint animi pondera magna mei.
Si quando majora tamen dare Muia valebit,
Accepti meriti gratia major erit.

Excell. V.

Observantissimus

M. IOHANNES CALLENIUS.

Typus hujus Disputationis.

Ante lapsum: cuius praecipua pars imago D E I. Vbi consideranda.	(F) Sta- tus bomi- nis alius	1. Vox, quæ vel	Πρός τι: estq; vel	Acciden- talis, quæ vel	Propria: quæ vel in	Substan- tialis, & significat vel	Substan- tialis, & significat vel	Quantitate: Qua- te: & significat similitu- dinem	Δυνάμεως φυ- σικῆς:	1. δόξα: vel κανο- ιδητρι- bus mo- dis	Impropria: que vel	Figurata: que vel	Typica.	3. πε- ριέ- σο.												
Post lapsum, (G.)		1. Fessen- tia	2. Consistit illa in	2. Res: cuius cō- siderāda	Definitione: ubi docetur	Partium enumera- ratione: que sunt	Angelus: etū: quod vel	Homo	Prin- cipales	1. Sapientia: 2. Iustitia & san- ctitas.	Secundum utrumq; sexum.	Secundum utramq; partem essentiale.	A 2	DISPU-												
1. Ibi nominis Hebrei impostio tenenda.																										
1. Quid non sit substantia. 2. Quid sit acci- dens, & quidem dem qualitas.																										
1. Libertas agēdi: princi- pales 2. Dominium: pales 3. Vita æterna.																										



DISPUTATIO VII.

De Imagine Dei.

CONTINVATIO.



Aetenus hominem ratione essentiae contemplati sumus; sequitur nunc, ut eundem in diversis consideremus statibus.

THEISIS I.

Hominis status dividitur.

Status ante lapsum.

EST igitur hominis status aliud ante lapsum, aliud post lapsum.

2. Status ante lapsum est felix ille & integratatis, in quo tantum fuit Adam & Eva, cuiusq; præcipua & principalis pars est **IMAGO DEI**.

3. De imagine igitur Dei hac disputatione acturi, prius, quid vocabulum significet, videbimus; tum rem ipsam scrutabimur.

4. Vocem imaginis quod spectat, illam satis ambiguam esse, constat. In genere tamen nihil significat aliud, quam effigiem, quæ similitudinem rei repræsentat.

5. Estq; interdum vox absoluta, interdum **πρόστις**, & relata.

6. Absolutè sumta, duplice iterum modo accipi potest. 1. Quatenus denotat situm, modum & positum quantitatis alicuius, vel corporis formam externam, & faciem visibilem. 2. Quatenus significat ideam mentis,

Imago varia significat.

Absolute accepta.

tis, & notionem abstractam in intellectu de cognita
& percepta, natam & formatam.

7. Πρός τι accepta, denotat convenientiam ad aliud; Relatè ac-
idq; vel substantialiter, vel accidentaliter.

8. Substantialiter sumta significat vel ὅμοιοσια, vel Substantia-
ὅμοιοσια.

9. Priori modo Filius Deus dicitur χαρακτῆρι τῆς ἰω-
σάτεως τῷ πατέρῳ: Heb. i. v. 3.: & imago Dei in invisibilis,
Colos. i. v. 15. Item χαρακτῆρι ψυπόσατο in 1. Dialog. A-
thanasi. Posteriori verò modo filius hominis dicitur
imago sui patris respectu essentia.

10. Vbi hoc notandum discriminem est, quod prior
modus involvat ταυτότητα τῆς στοιχίας. Conferuntur e-
nim persona patris & persona filii in uno, quod sanè a-
liud esse nequit, quam στοιχία, cùm in Deo accidens nul-
lum sit.

11. Essentia verò divina cùm numero una sit, argui-
tur filii essentia numero eadem illa, quæ Patris; adeò
ut Pater & filius rectè dicantur unus numero Deus.

12. Posterior verò tantum dicit ὅμοιοσι & similitu-
dinem essentialem; quā notione & specie quidem pa-
ter & filius mortalis unum esse dicuntur, non verò u-
nus numero homo, sed duo numero distincti homines.

13. Accidentaliter accepta vel est propria, vel im- Acciden-
propria.

14. Propria vel in Quantitate cum qualitate iunctâ
fundatur: vel in Quantitate tantum.

15. Ibi potissimum significat quantitatis situm, &
constitutionem, itemq; figuram externam. Vnde ima-
gines virorum illustrium appellamus colossos, pictu-
ras. Et in hac significatione Cicero in Epist. famil. in-
quit: Agesilaum neq; pictam neq; fictam suam imagi-
nem passum esse.

16. In Qualitate quando fundatur, denotat convenientiam quantitatis unius, aut duarum, aut trium specierum: ut, cum quis vel similitudine naturae, sive indolis naturalis, vel imitatione virtutum, vitiorumque, aut huiusmodi aliorum, dicitur imago alterius.

17. Hoc igitur modo sumta imago, aut significat similitudinem τῆς δυνάμεως φύσιος aut τῆς ἔξεως.

18. Convenientia τῆς δυνάμεως φύσιος est, quando Poëtam, qui naturā rapitur ad fundendum bonum carmen, Maroni vel Nasoni comparamus: item eum, qui naturā est heluo, Antonio, quem temperamento gulosum fuisse scribunt.

19. τῆς ἔξεως similitudo erit, quando mores, virtutes & vita alterius imitamur, idq; tribus modis.

20. Primum δόξα sive μακοσχλία quadam: ut, quando melancholicus quispiam opinione se regem venditat: Thraso putat se Herculem, aut similem fortitudine præstantem.

21. Deinde βελήσει vel inani simulatione: ut, cum Lentulus Scipionis antecessoris sui fortitudinem simulare nictitur, & cum Ulysses παλινρέπεται ad variorum populorum mores se composuit.

22. Tandem προαιρέσει: quando verè similis virtus vel vitium inest. Vt, Fabritius verè potest dici imago Aristidis: est enim utriq; constans voluntas ab honestate & iustitiâ ethicâ non discedendi. Ad hanc classem reterri posse videtur imago Dñe, quæ fuit in primis nostris parentibus.

23. Imago tandem impropiè accepta, vel sumitur figuratè, vel typicè.

24. Imago figuratè sumta est tropica & parabolica;

ut

ut, cum ἀνταρτεῖον olei & quercus dicimus esse imagi- *Imago si-*
nem eius, quod verbi ministerium ab aulis gubernatō
rum, emoriatur. Huiusmodi imagines & picturæ fre- *sunt*,
quentissimæ sunt in Scripturis sacris, & tantum in
consideratione existunt.

25. Typica imago est; ut, quum agnus, victimia ve- *Imago ty-*
teris Testamenti, dicitur imago **CHRISTI**. *pice sumta.*

26. Atq; hactenus de variis significationibus & po-
testatibus vocabuli imaginis, quas propterea præmit-
tere voluimus, ne æquivatione vocis in disputatio-
ne hac deciperemur.

27. Cæterum rem ipsam, sive imaginem **D E I**, de
quâ hoc loco agimus, quod spectat, consideranda illa
primum in essentiâ: deinde cui creaturæ tribuenda.

28. Consideratio essentiæ consistit in definitione
& partium explicatione.

29. Vtraq; desumitur potissimum ex verbis Moysis
Gen. 1. v. 26. Dixit autem Deus: faciamus hominem ad ima-
ginem nostram, secundum similitudinem nostram, &
dominentur piscibus maris, & volatilibus cœli, & toti terra,
omniq; reptili reptanti super terram.

30. Vbi primum ipsa nominis impositio notanda.
Vsurgentur in Hebreo duo vocabula רְשָׁוֹת & רְשָׁוֹת
quorum illud imaginem propriè, hoc similitudinem
denotare videtur: unde nonnulli illud רְשָׁוֹת ad sub-
stantiam, hoc רְשָׁוֹת ad accidentia referunt, nec non
per imaginem dotes concreatas & naturales, seu po-
tentias animæ intelligi: per similitudinem verò dona
gratuita, quæ D E U S insuper homini contulit, signifi-
cari contendunt.

31. Verum distributio & distinctio hæc incerta est,
cum Moses ista vocum ferè idem significantium gemi-
natione

*Nominis
Hebrei
impositio.*

natione, summam similitudinem & conformitatem hominis cum Deo exprimere velit.

32. Hinc in aliis Sacrae scripturæ locis, ubi huius rei fit mentio, vocabula hæc solent permutari: ut statim *versu 27.* inquit Moses: *Creavit itaq; Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Cap. 5. verò, & quidem v. 1. *Vox similitudinis habetur: In die quo creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.*

Imago
quid.

33. Est autem imago Dei, definiente Paulo, *iustitia & sanctitas vera.* *Eph. 4. v. 24.*

34. In quâ definitione relativum per suum fundamentum describitur & declaratur.

Imago Dei 35. Est enim *imago Dei* vox relata, cuius fundamen-
vox relata, iustitia & sanctitas hominum: terminus iustitia & sanctitas Dei, relatio, ipsa congruentia.

36. Iustitia autem & sanctitas illa, veram Dei agnitionem & sapientiæ lucem in mente, conformitatemq; plenam cum lege Dei in voluntate, nec non omnium animæ & corporis virium rectitudinem complectitur.

37. Intellectus enim, beneficio huius imaginis, Deum verè cognoscebat, *diávola* de omnibus recte iudicabat, affectus rationem rectè statuentem ultrò sequabantur, Deum proximumq; amabant, sibi ipsis amicè consentiebant, voluntas recto cursu ad Deum, divinaq; bona eligenda, ferebatur, sensus, omniaq; corporis membra promptè munera sua, ad creatoris gloriam & honorem, exequabantur.

38. Hæc dulcissima sanctissimaque harmonia, ita Dei cum voluntate consentiebat, ut nulla *αταξία* dissonatiæ notari potuerit.

39. Ex

39. Ex quibus facile colligitur & intelligitur, ima- *Imago Dei*
ginem D e i, ad quam singulariter homo fuit conditus, *in homine*
non secundum substantiam constituendam esse, licet *non erat*
substantia suâ D e u m substantiam quandam, non ima- *substan-*
ginarium aliquid Ens esse, arguat. *tia.*

40. Quid? Solus Filius D e i est substantialis ima-
go D e i Patris ut constat ex thesi 9.

41. Et licet imago illa filii D e i sit *ōμοιοσία*, tamen
neq; *ōμοιοσία* tribui poterit homini.

42. Sicut enim homo non est persona divinitatis: *Similitudo*
ita nec extra Trinitatem unitatis, vel extra unitatem *Dei essen-*
Trinitas est persona similis essentiae divinae. *tialis crea-*

53. Sic enim Iehova Esaia 46, v. 5: *Cui aßimilabi- ta, nulla.*
tis me, & adæquabis, aut comparabis me, & similitudo
ero?

44. Indeq; recte Cyprianus in expositione Symboli scribit, *Deum in substantia non habere similem*. Cyril-
lus quoq; lib. 1. in Ioh. cap. 46. Absurdum censet, si quis
dicat, *spiritum hominis referre Deum secundum naturam*.
Et Athanas. Dial. 1. de Trin. expressè ait: *Aliud est,*
*imaginem Dei esse, quam esse characterem *ὑποστάσεως* ipsius.*
Nam opus quipiam habet quidem imaginem artis, cuius
*peritus est artifex, à quo effectum est, *ὑποστάσεως* minime.*

45. Et iterum Cyrus lib. 2. in Ioh. cap. 14. contra
eos disputans, qui filium D e i dicebant esse imaginem
eius substantialiter, sicut & creature dicerentur, gra-
vissimè negat suppositum de creaturis his ipsis verbis:
*Nihil firmum aut stabile, nihil perpetuum soli Deo tribue-
tur, si creature quoq; substantialiter sunt: & quis non per-
borrescat tantam veritatis dogmatum perturbationem,*
audiens? Omnia enim sursum ac deorsum evertuntur, Dei-

tatis natura ad creaturam deducitur, & creaturarum substantia per insaniam ad supremam naturam locum scandere creditur. Hos ergo fluctus, hanc tempestatem impietatis relinquentes, ad tutum pietatis portum enat are studeamus.

46. Ignatius quoq; inquit Epist. 3. ad Magnesianos: In hominibus geminas notas inveniri dico, & hanc esse veri numismatis, illam verò adulterini. Pius homo numisma est, à Deo cusum, impius adulterinum & suberatum, non à Deo, sed à Diabolo effectum: non quid velim duas esse hominis naturas, sed unum esse hominem, qui jam Dei sit, jam Diaboli. Si quis pietati studet, Dei homo est: si impie agit, Diaboli est; non id factus per naturam, sed per animi arbitrium. Infideles imaginem referunt Principis malitia, fideles imaginem ferunt Principis Dei Patris & Iesu Christi.

Imago Dei
est acci-
dens, &
quidem
Qualitas.

47. Ut autem orthodoxa antiquitas imaginem Dei negat substantiam: ita eandem accidens, & quidem in specie qualitatem unanimi consensu asserit.

48. Tertullianus enim lib. 2. adversus Marcionem, qui Manichaeorum parens fuit, inquit: Per id, quod substantiae accessit, id est, per liberum arbitrium anima deliquit. Rursus: Et hec ergo imago censenda est Dei in homine, quod eosdem motus & sensus habeat humanus animus, quos & Deus, licet non tales, quales Deus. Cyril. lib. 1. in Iohan. cap. 34. Per Spiritum ad Deum reformati, ac proprio ejus charactere insigniti, ad suam, ut ita dicam, qualitatem transformanur. Idem lib. i. Dial. de Trin. docet: Imaginem Dei, ad quam conditi sunt homines, nequaquam esse essentiale, sed secundum imaginem eos esse creatos, vel certè ad modum qualitatis formatos, quasi ad divinam & immortalem pulcritudinem. August. quoq; lib. 6. contra Iulianum aperte dicit, Justitiam & injustitiam originalē esse qualitatem in hominibus tanquam in subiecto.

Et

Et Basilius Epist. 141, de imagine D_EI loquens inquit:
Simile & dissimile juxta qualitates dicitur. Et ibidem,
similitudinem à coessentiali discernit.

49. Hos etiam secutus est Lutherus: nam licet is *Lutheri*
imaginē D_EI interdum dicat naturalem, & de naturā *Sententia*.
hominis esse: facit tamen id citra Manichaeismum.

50. Modo enim isto loquendi utitur, quando contra
Scholasticos Pontificios calamum stringit, qui evin-
cere unice laborabant, naturalia hominis post lapsum
mansisse integra; per naturalia intelligentes non tan-
tum Physica illa, voluntatis, intellectus, rationis &
mentis constitutiva & formalia: verum illas ipsas et-
iam vires, quibus homo potuit D_EUM cognoscere,
spiritualiaque spiritualiter intelligere, judicare, velle
bona bene, recte & vere.

51. In quā disputatione neq; Scholastici, neq; Lu-
therus has vires naturales dixerunt, ut naturale oppo-
situm est accidentalī: sed naturalia hæc substantiæ ra-
tione & respectu semper agnoverunt accidentia.

52. Vires autem istas integras mansisse in lapsu,
contendebant Scholastici, ad liberum arbitrium adse-
rendum, & bona opera ad salutem profutura, coope-
rationemq; hominis in conversione sui ex humanis
viribus educendam.

53. Interim imaginem D_EI amissam esse, videbant,
neq; illud inficiari audebant.

54. Ne igitur contradictionem involverent Scho-
lasticī, negabant imaginem D_EI de naturā, naturalem
vel essentiale, & de hominis essentiā fuisse, sed do-
num aliquod ornamenti instar extrinsecus illigatum.

55. Contra hos igitur D. Lutherus Dei imaginem naturalem fuisse afferit, non eâ ratione, quâ & sâa sive pars & ias fiat essentialis, ut hæc ijs opponitur, quâ accidentium nomine veniunt, & in essentiâ naturaliter inesse vel inhærente dicuntur.

56. Statum enim valde perspicuum ponit in explicazione Psalmi 87. fol. 393, ubi inquit: *Se non de voluntate, quæ est res naturalis, & mansit, seu de velle simpliciter, sed de velle bonum disputare cum Scholasticis.* Sic Tom 1. in Genes. p. 18. ait: *Manserunt intellectus & voluntas.* Et pag. 24: *Manserunt vires in externis.* Item pag. 43: *Manet quidem natura, sed multis modis corrupta, siquidem fiducia Dei amissa est.* Et mox: *Nam fiduciam in Deum per peccatum amisit.* Verum p. 47. hanc dedit affirmativam: *Hoc statuimus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum ab hominis naturâ, sed fuisse verè naturale: ita in naturâ Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum: hec tamen naturalia fuere in Adamo, quâm naturale est, quod oculi lumen respiciunt.* Quia autem, si oculum vitiosum reddas, infictio uiuere, rectè dicas, naturam violatam esse: *Ita postquam homo ex justitiâ in peccatum lapsus est, rectè & verè dicitur, naturalia non integra, sed corrupta esse per peccata.* Sicut enim natura oculi est videre; ita natura rationis & voluntatis in Adamo fuit, nosse Deum, credere Deo, timere Deum. Hæc cùm jam amissa esse constet, quis tam amens est, qui dicat, naturalia adhuc mansisse integras?

57. Quibus in locis Lutherus aperte docet, natu-
ram manuisse secundùm facultates, membraq; & par-
tes, eandem, quæ fuerit in integratatis statu: imaginem
verò

verò D^EI sic periisse affirmat, ut horrenda in naturā sit factā per corruptionem immutatio.

58. Inīo verò tota Lutheri disputatio de libero arbitrio, de peccatis, de justificatione gratuitā, firmissimo hoc nūtitur fundamento, quod per peccatum imago illa D^EI planè perierit. Quod ipsum fundamentum funditus subruitur & evertitur, si naturalis imago appellata à Luthero essentia ipsa accipiatur, accidenti opposita.

59. Essentia enim, quæ de peccato admissa accusatur, non perit, sed permanet secundūm omnia sua attributa essentialia & facultates, attestante etiam Luthero, eadem, ita ut patiatur supplicia.

60. Manifestum igitur est, Luthero nunquam in intentem venisse, quod dictis eius sophisticè & malitiosè affingitur: de quo etiam contra Scholasticos, quod assereret, Lutherus non habuit.

61. Constat igitur partim autoritate scripturæ, partim unanimi consensu orthodoxæ Ecclesiæ, imaginē D^EI in homine non substantiam, sed accidens, & quidem in specie qualitatem quandam fuisse, quæ, manente essentiā humānā, potuerit separari & amitti.

62. Non autem erat accidens aliquod vile & vulga- Imago Dei non erat accidens
re, sed peculiare & præstantissimum: erat enim ipsa iustitia & sanctitas vera.

63. Nempe nihil erat aliud, quām summa atq; admiranda totius naturæ, animæ & corporis, integritas & perfectio, qualis quidem in creaturam cadere potest, maxima; ut illud ex partium consideratione magis erit manifestum.

- Partes imaginis**
- Dicitur.**
- Partes principales.**
- Sapientia.**
- Habet duplex obiectum.**
- Res divinas.**
- Res mundanas.**
- Iustitia & sanctitas.**
64. **Partes imaginis Dei fuerunt vel principales, vel minus principales.**
65. **Partes principales, excellens sapientia, admiranda iustitia, & sanctitas.**
66. **Sapientia erat illustris omnium rerum divinarum iuxta ac mundanarum notitia: quæ licet finita; summa tamen, & numeris omnibus absoluta.**
67. **Habuit igitur sapientia hæc duplex obiectum: Res divinas, & res mundanas.**
68. **De cognitione rerum divinarum legimus Syr. 17. v. 6. Dedit eis mentem, intellectum & cognitionem, ut discrimen scirent boni & mali: & praे omnibus animantibus respergit eos, ostenditq; eis suam ingentem majestatem: docuit eos, deditq; eis legem vita, eternum fædus faciens cum eis, sua judicia manifestavit eis.**
69. **Quibus sanè verbis Siracides universam Geographiam, hoc est, essentiæ & voluntatis divinæ agnitionem includit.**
70. **De mundanarum rerum notitiâ satis poterit testari historia de Adamo. Genes. 2. vers. 19, qui statim post creationem singularum animalium naturam perspexerit, atque hinc unicuique conveniens nomen imposuerit.**
71. **Iustitiam porro & sanctitatem quod spectat: Erat in voluntate summa conformitas cum lege Dei, & spontanea obedientia diligens Deum supra omnia, ex toto corde, atq; omnibus viribus: summa quoque mentis ac voluntatis coniunctio, una cum rectâ gubernatione omnium appetitu, nullâ sui parte à praescripto rectâ rationis aberrantium. Quam interiorem perfectionem comitabatur omnium virium animæ & cor-**

corporis, omniumq; sensuum, *supuergit*: ex hac deminque omnium actionum humanarum lecuta est conformitas cum lege, cuius, ut patet, perfecta notitia menti & cordi hominis divinitus fuit impressa.

72. De iustitia & sanctitate hac loquitur Apostolus ad Eph. 4. v.24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitiā & sanctitate verā.* item Eccl. 7.v.30. *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Sap. 9. v.3. ἐν δούτη τε καὶ δικαιωμάτῳ οὐδὲν εἴθετης ψυχῆς: *in sanctitate & iustitiā, & in rectitudine cordis.*

73. Partes minus principales fuerunt. 1. Libertas a-gendi: 2. dominium. 3. Vita æterna. Partes imaginis Dei minus principales.
74. Primam partem minus principalem faciamus libertatem agendi, quæ est necessarium originalis iustitiæ adiunctum. Nam ad cultum divinum, ex iustitiā & sanctitate originali fluentem, omnino requirebatur hæc libertas. Ut enim Deus agens liberrimum est: ita etiam voluit hunc cultum nequaquam coactum, sed liberum.

75. Libertas autem hæc, sive liberum arbitrium, in primis parentibus fuit facultas mentis, hoc est, intellectus & voluntatis, quâ potuit homo de rebus recte iudicare, cognita & iudicata eligere, ac inferiorum facultatum prompto ministerio eadem liberrimè fugere, aut prosequi. Liberrimum arbitrium quid.

76. De libero hoc arbitrio testatur Sirac. 15. v.14: *Ipse hominem creavit ab initio, cumq; arbitrio consilij sui permisit: Si volueris, mandata servabis, optimaq; voluntatis fidem prestabis. Ignem & aquam tibi proposuit: ad utrum voles, manum tuam porrige. Vita simul & mors propositæ sunt homini, & quod placuerit, dabitur ei.*

77. Altera pars imaginis Dei minus principalis est domi-

2 Domini-
nium.

dominium & principatus, qui illi traditur in reliquias
creaturas. De quo legimus Gen. 1. v. 26: Et dominabitur
piscibus maris, ac volatilibus cœli, atq; jumentis, & toti
terre, omniq; reptili reptanti super terram. Et vers. 28.
Et benedixit eis Deus, dixit q; ad eos: crescite & multiplicá-
mini, & replete terram, & subiçite eam, atq; dominamini
piscibus maris, ac volatili cœli, & omni bestia reptanti su-
per terram.

78. Vbi duo tenenda sunt: primum quod radix Hebræa Radah רַדָּה significet dominium, quale est domi-
no in servum, si sit æquum & moderatum.

79. Ex quo colligitur, imperium illud, in omnes
creaturas datum, non fuisse absolutum, sed cum obedi-
entiâ erga cretorem iunctum in ipso etiam imperandi
actu: verum non servili, sed liberrimâ & sanctissimâ,
ex vero perfectoq; amore secundum imaginis Dei na-
turam & conditionem proveniente.

80. Alterum hic observandum, est, quod in Hebræo
pluralis sit numerus, nempe eo indicatur, imperium
hoc non soli Adamo, sed toti eius posteritati demandari.
Et licet nunc per peccatum magna huius domi-
nii pars nobis sit adempta: reliquiæ tamen, quas adhuc
adesse experimur, ostendunt, quām hæc fuerit excellens
prærogativa hominis, quod ad conspectum eius
nutumq; omnia animalia, etiam ferocissimæ beluæ di-
cto fuerint audientes.

Dominij
partes.

81. Consistebat autem dominium hoc. 1. In præ-
stantiâ naturæ humanæ. 2. In perfectâ notitiâ virium
& affectuum in animantibus. 3. In potestate utendi
creatüris. 4. In spontaneo animalium obsequio.

82. De hoc quoq; dominio loquitur Psalmus 8.v.7.
&

& seqq. Dominari fecisti cum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus. Pecudes & boves, universa ipsa, & etiam bestias agrestes: volucres celi & pisces maris, & quicquid transit semitas maris. Item Sap. 9. v. 2. Constituisti hominem, ἵνα δεσμῶν τῶν οὐρανού καὶ γης φύσεων κινούματων ut dominaretur creature, que aucto facta est. Et Sap. 10. v. 2. ἐδωκεν αὐτῷ ἵχνον κρατῆσαι ἀπάντων, dedit ei potestatem imperandi omnibus.

83. Postrema pars minus principalis imaginis Dei 3. Vita est vita eterna, juxta illud Sap. 2. v. 23: Deus creavit hominem aeternam (quod D. Lutherus reddidit: ad vitam aeternam) καὶ εἰνόντα τῆς ιδίας αἰδιότητος ἐποίησεν αὐτὸν: & imaginem propriae aeternitatis fecit illum. Ita enim in Graeco textu legunt exemplaria correctiora. Atq; haec tenus imaginis Dei essentia fuit.

84. Sequitur nunc subiectum, quod sunt Angeli & Imagines Homines. Dei sub-

85. Non enim solus homo ad imaginem Dei factus ictum est, sed etiam Angeli. 1. Quia & ipsi filii Dei in sacris literis vocantur. 2. Quia fuerunt creati justi & sancti, plenius sapientia & perfectionibus illis omnibus, in quibus maxima pars imaginis Dei consistit. 3. Quia sunt spirituales substancialiter, illaque immortales. 4. Quia Christus aperte docet, tunc futuros nos vere beatos, eoque verè similes Deo, cum effecti fuerimus in celo sicut Angeli Dei.

86. Hominem autem ad imaginem Dei conditum 2. Hominem esse, ex hac tenus explicatis & probatis satis liquet. nes.

87. Deinde non tantum virum, sed utrumque sexum Sexus unita creatum esse, constat ex verbis Mosis Gen. 1. v. 27, terz. Creavit itaque Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit illos.

illos. Vbi expressè docetur, quòd hominem, nempe masculum & foeminam, ad imaginem suam creaverit Iehova.

88. Imò non tantùm ad viros, sed ad fæminas quoque dicit Apostolus Colos. 3, v. 10: *Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Item 2. Cor. 3, v. 18. *De omnibus Christianis & conversis ita scribit: Nos in eandem imaginem Dei transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Dei Spiritu.*

Totus homo 89. Ut autem totus homo quoad sexum, ita etiam quoad partes essentiales, quæ sunt anima & corpus, ad imaginem Dei est creatus.

90. Fuit igitur imago Dei in toto homine, non in solâ animâ, neq; in solo corpore. 1. Quia totus homo ad imaginem Dei conditus dicitur. 2. Quia totus homo peccavit, & totus punitur propter amissionem imaginis Dei, corruptione in naturâ, & tandem iudicio Dei. 3. Quia totus homo est templum & habitatio Dei, 1. Cor. 6. 4. Qui totus homo est redemptus à Christo, qui non solum eius animam, sed etiam corpus assumit, atq; ita in utrisq; imaginē Dei restitui. 5. Quia totus homo sanctificatur à Spiritu Sancto, & regeneratur, totus Deum celebrat, & totus æternâ gloriâ coronabitur.

Anima imaginis Dei 91. Animæ quidem ut principatus in homine debetur, ita in eâ quoq; potissimum lucet imaginis Dei subiectum præstantia: negari tamen non potest, aliquam eius integritatis partem ad corpus quoq; pertinuisse, propter arctissimum & admirandum vinculum, quo anima & corpus unita sunt, & ἐνορθώσῃς agunt, animâ cum corpore, & in illo suas operationes exercente.

92. Hæc

92. Hæc, quæ de subiecto imaginis Dei disputata Homo re-
sunt, ut rectè intelligantur, homo tribus debet consi- spectu ima-
derari modis. 1. In se, & suis partibus. In huius igitur gnis Dei
mente, voluntate, corde, appetitu, motibus interiori- tribus mo-
bus, sensibus quoq; exterioribus; & motibus externis dis conside-
totius corporis imago Dei nihil sicut aliud, quām sum- ratur.
ma integritas & perfeccio, qualem lex requirit: Si que
hæc ipsa, quoad mutuum respectum inter se, & mutu-
am, quā in actionibus coocurrunt, ἐνέργειαν spectes, fu-
it inter has facultates & motus omnes, beneficio huius
imaginis, summa consensio congruens cum lege, cor-
dibus hominum insculpta. Atq; hoc modo imaginem
Dei ad totum hominem pertinere, minimeq; corpus
excludere, quis non videt?

93.. Deinde consideratur totus homo, ad reliquas 2.
creaturas collatus, additurq; tūm quædam imaginis
Dei pars, dominium istud & principatus, qui homini
traditur in reliquas creaturas. Atq; hac ratione solus
homo, & quidem mas & foemina conditi sunt ad ima-
ginem Dei, & non Angeli, licet alias, ut ex præceden-
tibus patet, ad hos quoq; imago Dei pertineat, nempe
quatenus est iustitia & sanctitas vera.

94. Tandem consideratur homo ratione sexus, at-
que tum respectu dominii, quod aliquam imaginis
Dei partem exprimere asservimus, Apostolus Paulus
1. Cor. 11. Virum dicit ad imaginem Dei conditum
esse, non foeminam, cum illi dominatus in uxorem
datus sit: etiam si alias Moses in Genesi doceat, etiam
fæminam ad imaginem Dei conditam esse, nempe re-
spectu duorum priorum graduum, qui præcipui sunt.

95. Ex quibus luce meridianâ clarius est, imaginem
Dei non externum, sed internum fuisse ornatum, pri-

mo homini concreatum & connaturalem, ad integratatem illius primævam omnino pertinentem, quemq; sine miserabili & horrendâ illius integritatis corruptione & destructione auferri non potuisse.

Imago Dei amissa. 96. Nihilominus tamen, proh dolor! imago & ornatus ille per peccatum amissus est; quæ amissio vel abolitio, licet ipsam hominis substantiam non sustulerit; integratatem tamen & excellentiam naturæ corruptione planè horribili depravavit.

Amissa potis reparari in hac vitâ duplicitate. 97. Quæ vero amissa per gratiam Dei reparari potest, ut in hac quidem vitâ in fidelibus quotidie reparatur.

98. Quæ renovatio & reparatio per duplex fit medium. 1. Per baptismum. 2. Per diligentem verbi auscultationem, pietatisq; studium & exercitationem.

99. De priore loquitur CHRISTUS Ioh. 3, v. 5. Nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, non potest ingressi in regnum caelorum. Et Paulus ad Tit. 3, v. 5. Deus secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.

1. Per baptismum audiendum. 100. De altero loquitur iterum Apostolus 2, Cor. 3, v. 18: Nos omnes revelata facie gloriam Domini, tanquam in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. Eph. 4, v. 22. Deponite, secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corruptitur secundum desideria erroris. Renovamini autem Spiritu mentis vestre, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veræ. Coloss. 3, v. 9: Nolite mentiri invicem, exuentes veterem hominem cum operibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit eum. Et mox: Induite ergo sic-

ut

ut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem, &c.
101. In vita autem aeterna pristinæ dignitati planè ^{In aeternâ} pleneq; restituemur, quum in gloriâ Christo reparato ^{iterum} nostro conformabimur.

102. Tandem errores hinc fugiendi sunt. 1. Origenianorum opiniones, quorum alii dixerunt, corpus, quod Filius Dei assumtus erat ex virgine, ipsam esse imaginem Dei, ad quam homo conditus: alii sensum, alii virtutem, alii baptismum, alii dominium in omnes creatureas: Epiph. Epist. ad Job. Episcop. Hieros.

103. Deinde ipsius Epiphani sententia, qui statuit, quid vel quâ in re imago posita sit, incompertum esse, & incomprehensibile, soli autem Deo notum. Ibid. & hæref. 70.

104. Tertiò Anthropomorphitarum delirium, quo imaginem Dei corporis humani lineamentis expressam nugabantur. Quos ex Job. 4. v. 24. Luc. 24. v. 39. & naturâ Dei, invisibilis & spiritualis, nullis ~~wabijas~~, aut ~~accio~~ obnoxii, refellunt Augustinus de hæref. c. 75. Socrat. 6. Hist. Eccles. c. 7. & alij.

105. Quartò reiicimus illorum opinionem, qui per imaginem intelligebant filium Dei, atq; propterea, hominem imaginem Dei esse, negabant: sed ad imaginem Dei tantum factum esse adserabant. Quandoquidem illos manifeste refellit, quod additur, Nostram: deinde Apostolus Paulus, qui i. ad Cor. ii. inquit: Vir est imago & gloria Dei.

106. Quintò damnamus & illos, qui per imaginem filium & per similitudinem Spiritum Sanctum intelligebant.

107. Sextò reiicimus & illos, qui imaginem Dei,

de qua h̄c loquimur, vel in ipsâ animi essentiâ, vel in eius potentiis collocant. Imago enim Dei perdita est, animi autem essentia, vel eius facultates amissæ non sunt. Concedimus quidem libenter, varios respectus concinnè excogitari posse, quibus homo similitudinem quandam cum Deo habet, eosq; tolerari posse: verum id nihil ad rem. Quandoquidem id potissimum hoc loco investigandum fuit, quid Scriptura sacra de illâ Dei in homine imagine doceat, & in quo Spiritus Sanctus propriam huius imaginis notionem constitutat.

108. Septimò improbamus Scholasticorum & Pontificiorum temeritatem, qui imaginem Dei accessorium quoddam, & externum tantum ornamentum fuisse tradiderunt, quod sine virium humanarum corruptione auferi potuerit.

109. Ultimò recentium Manichæorum sive Flacianorum inscitiam, qui statuunt, imaginem Dei in primis parentibus fuisse ipsam hominis naturam & essentiam, quâ perditâ, peccatum originis successerit, quod nihil etiam sit aliud, quam natura & essentia hominis.

Atq; hac tenus de Imagine D E I.

F I N I S.



99 A 6935




T4 → OC



B.I.G.

Farbkarte #13



7